

Cher  
L  
W

Ed 50

4  
DE  
ORATORE  
INEPTO


DISSERTATIO

EX

AVELLINO

MARPURGENSI

EDITIONIS ULTIMÆ.



*Marpurgi Hassorum*

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII,  
*Academia Typogr.*

ANNO M. DC. ICCLVI.

V I R O  
M A G N I F I C O,  
N O B I L I S S I M O  
D O M I N O

J O H A N N -  
H E N R I C O Daubern.

J C t o C e l e b e r r i m o , S e r e -  
n i s s i m o H a s s o r u m P r i n c i p i à  
C o n s i l i i s S e c r e t i o r i b u s ; i n c l y t æ  
M a r p u r g e n s i s A c a d e m i æ  
P r o - C a n c e l l a r i o

S u p e r i o r i s A p p e l l a t i o n u m J u d i -  
c i i & C o n s i s t o r i i E c c l e s i a s t i c i  
A s s e s s o r i ,

*Domino & Patrono suo obse-  
quiosè venerando.*



**I**Nter Musas in Parnas-  
sorixæ aliquando exarserant,  
quæ comitiorum quietem  
adeo interturbabant, ut Ipsi  
etiam Apollini regiminis ruinam  
n' initarentur. Triste erat, eas  
omnem matronalem gravitatem  
non tantum prostituere, sed &  
judiciorum reverentiam profa-  
nare: rebelli enim vociferatione  
non judicari sed damnari Orato-  
riam postulabant; & hoc erat  
miserrimum, immaturæ quere-  
læ nec esse causam nec modum.  
Apollo ubi primi fervoris bul-  
las aliquantulum subsedisse vi-  
derat, Palladi, quæ semper

):( 2

Antistes

Antistes fuerat huius chori, con-  
troverſiæ inquisitionem deman-  
dabat. Arduum erat vel ipſi  
Palladi id inveſtigare, quod un-  
diq̄ue obſtrepens omnium in-  
conditum murmur premebat,  
prout quamq̄ue affectus aut invi-  
diæ intereſſe trahebat; Illæ quæ  
ex ſeveriori Philoſophiæ ſpecula-  
tivæ choro erant, adeo pertinaci-  
ter obloquebantur, tanquam li-  
tem ſui ſolam feciſſent; Æquè  
violenter Jurisprudencia, ſed pro-  
pria in cauſâ agendi, minùs vali-  
da, fremebat. Ethica quan-  
quam in Accuſantem quam Ac-  
cuſatam partem eſſet propen-  
ſior, intra utramq̄ue tamen ma-  
nebat media, reluctante Germa-  
nâ ſuâ Politicâ, quæ Ipſa defen-  
dentis

dentis provinciam subiisset, ni si-  
bi ipsi propter communicati cum  
reâ in omnibus consilii inspicio-  
nem, accusatio metuenda fuisset.

In summâ; gravamina, in quæ  
consentiebant omnes, hæc erant:  
quod si in suo Apostolatus mu-  
nere Resp. literarias peragra-  
rent, invenire se Oratoriam et-  
iam in aulas Præpotentum pene-  
trare, potissimam gratiarum par-  
tem præoccupare, ac reliquas  
scientias excludere, quas satis te-  
nui sæpe victu & hospitio con-  
tentas esse oporteat: Præterea  
otiosam esse *Nec de pane lucrando,*  
& suis clientibus sub utilitatis spe-  
cie miserè imponere. Apollo  
cum animadvertisset & sui regi-  
minis

minis incolas secundum com-  
munem seculi genium animari, ut  
imperare quam petere mallent,  
reservatâ in commodius tempus  
generalireformatione, in præsen-  
tiarum frigidè confitebatur, non  
fuisse in Oratoriam crimina à Ve-  
ritate omnino aliena, & etiam in-  
dustriosæ delationis laude ideo  
dignas, si modum tenuissent; ob-  
liquato autem è throni latere ore,  
medii sõi verbis exprobrabat Po-  
liticæ, quod in Ethicam pedeten-  
tim sibi sumeret imperium. Cz-  
terum velle se Oratoriam è sciē-  
tiarum choro exemptam, & à  
ministerio secretiori Palladi esse,  
nec scientiarum ullam inconsul-  
ta Pallade, ac insalutatâ Oratoriâ  
aliquid in posterum decernere,  
nec



nec hanc pro lubitu suo, aut in-  
consultâ illâ luxuriari. Verùm  
enim verò, sit hujus fabulationis  
imaginatio inventricis phantasiæ  
ludibrium, aut novus de rerum  
veritate philosophandi modus ab  
ingenioso Boccacino introdu-  
ctus. Nos ut seriò loquamur, si  
Sapientiæ ac Eloquentiæ dignita-  
tem ex cujusvis naturâ æstimare  
velimus, necesse est, ut illi emi-  
nentiæ, huic fructus gloriam con-  
cedamus. Totius cōtroversiæ sta-  
tus resolutionē summi Monarchæ  
suppeditat decretum, quo suos ad  
Pharaonem legatos instruebat,  
ita Mosen alloquens: *habes Aaro-  
nem, Ille erit tibi vice Oratoris, Tu  
verò ei vice Dei.* Sapientem hîc  
caput esse volebat legationis, ex

);( 4

illius-

illiusque nutu omnia fieri. Ipsi vi-  
demus Eloquentiam sine pru-  
denti solertiâ, & sapienti parsi-  
moniâ temperatam, essetantum  
garrulam profluentiam, & non  
se retinentis ac impotentis inge-  
niū iudicium: & quemadmodum  
equus sefforis directionem non  
patiens, se ac sefforem præcipitat,  
ita & Sapientiæ impatiens Elo-  
quentia. Verum quod eloquenti  
Aaroni injunxerit propositionis  
munus, non obscure innuit,  
quantum Illa adminiculi habeat  
ab Eloquentiâ, & in rebus ge-  
rendis individuum illarum esse  
debere consortium. *Sapientem  
corde appellari prudentem, sed dul-  
cem eloquio majora reperire  
mortalium Sapientissimus fassus  
fuit.*

fuit. Qui enim scit, non optimè  
loquitur, id ipsum quod scit ne-  
scire videtur: nam qui Sapientiâ  
non delectatur, Res; qui in voci-  
bus sordidus, Rerum amittit gra-  
tiam. Voluptati esse possunt an-  
tiqua numismata æstimatoribus  
suis etiam aliis inspicientibus, sed  
non usui, nisi transfusa, vel in va-  
lentem monetam denuo figura-  
ta, tunc ditare possunt pruden-  
tem dispensatorem: ita Sapien-  
tia, Eloquentiâ Pedissequâ, in  
conversacionis commercium tra-  
ducta, crescit æquè ac pecunia  
usuras parturiens. Utile sanè  
possidere divitias, sed inutile ar-  
tem iis fruendi nescire; longè au-  
tem inutilius est insipiens Sapien-  
tia, & sapiendo sibi ipsi non sa-  
piens.

piens. Sapiencia ubi invidam.  
Eloquentiam habet, sui admira-  
tionem quidem parere potest sed  
sterilem, & suo cultori non ma-  
gis prodest, quam pennæ pavo-  
nibus, quæ licet elegantissimæ  
sint, eos tamen in sublime ferre  
non possunt. Paucis ut multa  
comprehendam, Sapiencia si so-  
litaria sit, non agnoscitur, & si de-  
nique agnoscitur, tanquam steri-  
lis, si derisu non habetur, ut infe-  
lix tamen ex commiseratione  
deploratur. Ambæ autem, ubi  
in unius ingenio coaluerint se in-  
vicem promovent, ac magna ac  
incredibilia præstant. Exulavit  
nihilominus Eloquentiæ, seu pu-  
rioris Latinitatis studium per ali-  
quot secula in omnibus fere Aca-  
demiis,

demis, tum temporum injuriâ,  
tum hominum incuriâ; existi-  
mantium forsan, id Grammati-  
corum esse, & prurientium Cri-  
ticorum, in proprietatem & ele-  
gantiam Latini sermonis curio-  
sius inquirere. Si non propter  
aliud, certè propter hoc benefi-  
cium ei studuisse debuit, quod  
sit q̄s. vinculum, & communis  
omnium gentium lingua, quæ li-  
berum inter eos præstet com-  
mercium. Qui autem veterem  
& Barbaram in quærendis scien-  
tiis rationem obtinere malue-  
runt, ipsi perpendant, an non  
gemmæ in auro magis quam in  
ære niteant, & res bonæ verbis  
bonis vestitæ eò plus ornatus &  
delectationis afferant. Siq; sci-  
entiæ

entiaē styli nitore mitigatæ elan-  
gueant, cur Ciceronis & Senecæ  
Tantum Philosophorum scri-  
pta, tot robustæ ac virilis sapien-  
tiæ præceptis spectabilia, iisque  
majorem styli gravitas attentio-  
nem conciliat, quam si barbaris  
conclusionum vocabulis forde-  
ant? ab ipsis etiam purioris linguæ  
contemptoribus, annon pluri-  
æstimari fas est Nostri Juris Di-  
gesta, quam è græco translatus  
Codex? & Celeberrimus quisq;  
Interpres ab Antiquitatum &  
Linguæ studio maximè fuit adju-  
tus. Si qui igitur de Rep. Lite-  
rariâ benè meriti sunt, illi sunt, qui  
obliteratum Latinæ linguæ stu-  
dium ab ignorantia tenebris vin-  
dicarunt, quæ gloria Erasmo  
apud

apud Helvetios : Lipsio & Bau-  
dio apud Batavos : Berneggero  
apud Argentoratenses : Ritters-  
husio apud Aldorfenses : Taub-  
manno apud Wittenbergenses:  
& Excellentissimo Schuppio  
apud Marpurgenses debetur, Cui  
Eloquentiæ provinciâ demanda-  
tâ, ut Oratorias sui temporis ine-  
ptias ostenderet & ejiceret, huic  
Oratori inepto inclusit; quem sub  
Tuo imprimis Patrocinio, Magni-  
fice Vir, publico do, utpote  
quem scio in maximâ felicitatis  
parte reputare, videre Patriam à  
squalentibus Musis vindicatam,  
& linguarum sordibus purgatam;  
Nec Oratoriarum in superiori  
seculo ineptiarum sincerior esse  
poterit Arbiter quam Tu, dulci  
& gra-

& gravi eloquio instructissimus,  
qui Galliam & Bataviam in admi-  
rationem Tui, Germaniam in  
invidiam traxisti, ut flagrantiori  
desiderio tantum Patriæ decus  
certatim expeterent. Omnibus  
autem Tuis virtutibus, quas ex-  
teræ loquuntur nationes, hanc,  
confitentibus etiam illis, coro-  
nam superimposuisti, quod in  
Patriam redieris, nec iis Te sub-  
duxeris curis, quarum Te natura  
genitrix participem esse voluit.  
Imò quod rarum est, nunc neque  
tranquillam Academicam vitam  
fastidis, neque molestas aulae,  
aut publici status curas subterfu-  
gis, sed pari vigore animi omnia  
indefessè subis, quæque divisa  
plurimorum ætatem fatigarent,  
Tu



Tu solus felici conjugio unis , ut  
& ultimæ Antiquitatis Vindex  
Celeberrimus sis πολυγλώττατ<sup>ο</sup> ac  
πολύτρω<sup>ο</sup> Eximius . Orator sui se-  
culi Facundissimus : Politicus  
Prudentissimus : Jctus Eminen-  
tissimus. Vale & diu nobis super-  
stes vive. Iterum vale atque  
fave

*Magnificentia Tuæ*

devotissimo

GEORGIO Sincern.



I.



JOH. BALTHASAR  
SCHUPP. THEOLOGICÆ  
LICENTIAT. ELOQUEN-  
TIÆ & Historiarum Professor,  
& p. t. Facultatis philosophicæ  
Decanus, omnibus bonarum  
artium cultoribus,

S. P. P.

*Irca diem Jovis ad finem*  
**C** *properabunt labores qui-*  
*dam, quorum gratiâ hæte-*  
*nus clausum fuit collegium*  
*nostrum Philosophicum.*  
*Tunc dato signo, Orationem*  
*de varietate ingeniorum dignoscendâ re-*  
*citabit Vir-Juvenis Nobiliss. & Politis-*  
*simus, Dominus Jeremias Pistorius, di-*  
*ctus*

Etus Pfister von Burgdorff | Viennâ  
 Austrius, cui ut vacivas atque benevo-  
 las prebeatîs aures, humanissimè oro.  
 Presentiam vestram omninò meretur,  
 non tantum nobiliss. hic commilito vester,  
 sed & materia Orationis, qua digna est,  
 ut ab omnibus omnium facultatum cul-  
 toribus ingeniosè discutatur. Profectò,  
 si mihi jam ocium esset, hoc ipso ingenii  
 calore integrum tractatum eâ de re ef-  
 funderem. Sed sunt alia negocia gravio-  
 ra & magis necessaria, qua hanc contem-  
 plandi amenitatem mihi invident. Et, si  
 vel maximsè mihi ocium indulgeretur,  
 dubitarem tamen an ejusmodi medita-  
 tiones publicæ luci committere consultum  
 sit. Terrent me enim tot diversa & ad-  
 versa judicia, partim nimio amore, par-  
 tims nimia sive ignorantia sive invidia  
 peccantia, quibus scriptiunculas profa-  
 nas hætenus è manibus meis extortas  
 onerari audio. Et fateor ingenue, me  
 crescente etate, ineptias illas toto pectore  
 fastidire.

## PROGRAMMA.

3

fastidire. Forsan si gravioribus curis admotus fuisset, preciosissimum tempus utilioribus meditationibus consumpsissem. Interim qui cerebrum non incaliscant habent, quibus propius crebriusve innotui, qui & vultum & animum meum & scopum harum scriptiuncularum norunt, testabuntur, me hoc in casu non aliud quasi visse, quam commodum tuum & generosa Inventus, & id quod debebam Academia huic, in qua studium Eloquentia aliquo modo senescere videbatur. Ita fieri amat in republ. literaria, ut pro varia temporum sorte, litera variis subjecta sint vicissitudinibus, & nunc suam habeant infantiam, nunc luxuriosam adolescentiam, nunc juvenilem modestiam, atque ita mox sequatur virile robur, ut solidiores fiant & exactiores, & tandem Senectus obrepit, ita ut sicca fiant atque exhausta, manent tamen garrulitate. Nolite hanc vicissitudinum rotam nimis curiosis oculis in-

L 2

tueri,

\* PROGRAMMA.

tueri, ne fortasse vertigine corripiamini.  
Patimini autem, ut vobis brevissimè re-  
censeam, quod mirabile fatum me dedu-  
xerit ad Eloquentia studium & ad illud  
scribendi genus, quo hætenus usus sum.  
Decennium effluxit postquam Illustriss.  
patria nostra pater, ex singulari erga lite-  
ras amore, Acad. huic aliquoties clemen-  
tissimè scripsit, ut juvenus ad excolen-  
dam Eloquentiam excitaretur. Ego tum  
juvenilem ætatem exordiebar, & ani-  
mum rebus sacris consecrabam. Quo-  
dam tempore, nescio quo ingenii impetu  
exercitii gratiã memoriter recitabam  
Orationem de causis resp. corrumpenti-  
bus. Multi clamabant me Oratorem  
esse, at nemo minus id credebat, quam ego  
ipse, qui sæpe arcano risu damnabam hæc  
judicia. Testor conscientiam meam, me  
in adolescentiã meã de nullã re magis de-  
sperasse, quam de progressibus in Eloquen-  
tiã impetrandis. Nihilominus proceres  
Aulici atq; Academici me crebrò adhor-  
taban-

## PROGRAMMA.

5

tabantur, ut studio huic sedulo incumbere-  
rem. Tandem cum nemo vel per somni-  
um eâdere cogitasset & omnium persua-  
siones in suggestum me invitarent, & im-  
possibile judicarent mihi locum patere  
posse in Academia, prorsus mirabilifato-  
rum dispositione Eloquentia professio An-  
stite suo destituebatur. Proinde clemen-  
tissimo Principis rescripto vocabar ad  
munus hoc suscipiendum, & severissimis  
verbis ( quorum memoria mentem meâ  
horrore quodam non semel concussit )  
mihi injungebatur, ut omnem ingenii be-  
nignitatem excuterem in excolendâ &  
disseminandâ Eloquentia. Ibam igitur  
quo poteram, quò non poteram ibi sta-  
bam. Canebam, ut alii saltarent. Scient  
non pauci, me interdum magis sollicitum  
fuisse ut alios disertos facerem, quam ut  
ipse disertus viderer. Sed statim Aca-  
demiâ nostram confundebat fama exer-  
citus qui Hanovia obsessa succurrebat.  
Et ab illo tempore alii tumultus bellici &

L 3

cala-

calamitates publicè circulos nostros non  
 semel turbarunt. Hinc patria juvenus  
 parentum ad paupertatem redactorum  
 querelis defatigata, illis inherere malebat  
 quæ ad farinam faciunt & omitti neque-  
 unt, quam iis quæ ornant tantum aut de-  
 lectant. Et sane, si dicendum quod res est,  
 alius est Batavia, alius Germaniæ genius.  
 In Bataviâ multi fortune filii reperun-  
 tur, qui his amenitatibus uti possunt non  
 tanquam condimentis, sed tanquam cibis  
 quotidianis. Ast his ferreis & concla-  
 matis temporibus non cuilibet hoc licet  
 aut expedit in Germaniâ. Si Heinſius  
 ipse, ille Oratorum princeps, huc veniret,  
 & aliunde non expectaret auxilium, for-  
 san inter omnes phrasas, inter omnes tro-  
 pos & figuras suas periret. Virtus illa hoc  
 temporum statu laudatur & alget & esu-  
 rit. Interim tamen sperandum est, & ex-  
 pectanda sunt fata & tempora meliora,  
 & utilissima simul ac jucundissima stu-  
 dia hæc non omninò negligenda, sed potius  
 exco-



excolenda sunt, non tanquam summus finis, sed tanquam media ad alium finem in facultatibus superioribus ducentia. Quemadmodum artes hæc si solæ sunt, steriles sunt & vel parum vel nihil possunt, ita aliis quodam quasi matrimoniali nexu conjunctæ, non nisi admiranda pariunt & omnibus cæteris gratiam quandam conciliant. Ingeniosa veterum Poetarum gens finxit, Rhodios olim Palladi tanquam deæ sapientia sacrificium obtulisse, sed sine sale. Hanc ob causam deam iratam, & aras & urbem eorum reliquisse & Athenas migrasse. Fallor? an fabulâ hæc significârunt omnem sapientiam ingratham esse sine sale Eloquentia? Certe quemadmodum hominis decus est ingenium, ita ingenii ipsius sal & sapor est Eloquentia. Ut igitur invitam & reluctantem juventutem ad nobiliss. hanc artem quocunque modo excitarem, multa quidem volui, sed parum valui. Tandem succurrit mihi dixerim in scholis

quidem tritum, sed tamen observatione non indignum. Demosthenes olim interrogatus, quanam prima Oratoris virtus sit, respondit actio. Quae secunda? actio. Quae tertia? iterum respondit, actio. Hoc inquam dixit Demosthenes, optimus ille, aut optimo proximus Orator, qui rem optimè novit, nec tamen in eo, quod laudavit, multum debuit naturæ. Sæpè miratus sum & hodiernum quero, qui fiat quod illam Oratoriae partem, quae Historionis potius, quam Oratoris virtus censenda videbatur, in tam sublimem locum collocet tantus Orator? Qui fiat, quod eam extollat super inventionem & elocutionem & alias Eloquentiae nobiliores partes? Qui fiat, quod eam solam prædicet, ac si omne tulisset punctum? Causam puto hanc esse, quia vidit humane naturæ plerumq; plus stultitiæ inesse quam sapientiæ, proinde facultates illas, quibus capitur pars in animis hominum stulta, iudicavit esse omnium potentissimas.

## PROGRAMMA.

9

mas. Vos ipsi hoc in loco cogitate, quicquid  
jam non eloquor, & nolite mirari, o opti-  
mi, si interdum à seriis ad sales & facetias  
me converti, à quibus & vultus & animi  
mei austeritatem alienam esse, norunt,  
qui me norunt. Feci quicquid feci,  
amore juventutis, ut non tantum seculi  
stultitiæ satisfacerem, sed & quodam  
quasi saccharo obducerem ea, quæ in pul-  
vere scholastico sæpe ingratiſſima red-  
dunt plagosi Grammatici. Si rem hanc  
sinistrè interpretantur morosi Censores,  
jubeo eos simul accusare sapientissimum  
Lacedæmoniorum Regem, qui nimio  
amore paterno abreptus, cum filiis equi-  
tabat in arundine longâ. Iubeo eos accu-  
sare veteres omnes sapientes, qui ideò scho-  
lam ludum dixêre, ut significarent, quid  
in animis discipulorum possit docendi ama-  
nitas. Iubeo quoque eos accusare pruden-  
tes Medicos, qui inter risus & facetias  
aëris sæpè propinant amaras potiones. Si  
hac docendi aut scribendi ratio nova vi-

L 5

detur

detur & innovationem hanc fastidiunt,  
 sciant omnem Medicinam innovatio-  
 nem esse. Qui semper nova remediare-  
 cusat, nova mala expectet. Omnium ma-  
 ximus novator est Tempus. Si tempus  
 solo decursu res in pejus ferat, prudentia  
 autem & industria in melius eas resti-  
 tuere non concedat, quis tandem erit finis  
 mali? Ultimus scopus scriptiuncularum  
 illarum omnium fuit, ut phrasas & amo-  
 rem Eloquentia in generarem Auditori-  
 bus meis. Alii suo in loco utantur me-  
 diis, qua scopo suo assequendo apta cre-  
 dunt. Mihi haecenus placuit, Platoni-  
 cum & Socraticum & parabolicum phi-  
 losophandi genus. Credidi parabolas fuisse  
 arcas preciosissimas, quibus olim mascu-  
 lam omnem & cordatam scientiam in-  
 cluserint Philosophi. Ipsa Religio earum  
 operâ saepe usa est & per eas commercium  
 Divinorum cum humanis exercuit. Si  
 interdum Socraticâ ingenii libertate va-  
 rias mundi vanitates delineavi, feci hoc  
 cura

PROGRAMMA. 81

cum nullius boni injuriâ, sed tantum animo exercendi stylum & excitandi juventutem. Olim quidam Sophisticis argutationibus colligebat Diogenem habere cornua. Diogenes frontem ac tempora contrectans respondebat: Atq; ego non video, non sentio. Si tu quâ fortasse, quisquis es bone vir, in ineptiis meis aliquid legisti, conscientiam tuâ tange & dic: Nihil ejusmodi contrecto, nihil sentio. Scias omnia illa TIBI non alio fine scripta esse, quam ut videas & ingenium mundi agnoscere discas. Cæterum, ne juvenibus gratificando obliviscar me ad virilem ætatem pervenisse, rei huic finem impono. In posterum nemo vel apicem in hoc scribendi genere à me expectet. Claudite nunc rivos, pueri, sat prata biberunt. Atq; Vos ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capella. Valete. Scribeb. festinante calamo, Marburg. 5. Novembris, Anno 1642.

L s

SALVE



SALVE  
MAGNIFICE DOMINE  
RECTOR.

SALVETE CÆTERI,  
*Viri Clarissimi & Excellentissimi, Do-  
mini & Fautores honoratissimi.*

*Et tu salve ô Studiosorum Corona  
Nobilissima, lectissima.*

**S**ACER quidam horror  
animo meo incutiebatur,  
cum in vestibulo hujus  
Collegii, in nigra atque  
oblonga tabula legerem hanc novam  
inscriptionem.

*Sive hospes sive inquilinus sis, Viator, si  
virtutem & eruditionem amas, subsiste,  
& qualis sim Virgo, quidq; Te  
velim accipe.*

*Vertex mihi galeatus est recta methodo,  
caput*

caput meum sapientia splendore coruscet,  
 in manibus labiisque meis eloquentia ar-  
 magesto, pectus meum virtutis balteo  
 cinctum, venter meus refertus est variis  
 amoenissimarum historiarum deliciis,  
 pedes mei apti & parati sunt ad peren-  
 dum ardua, proci mei SOPHIAM  
 me vocant.

Si placeo, me tibi conjunge, sed non veluti  
 scortum ad voluptatem, neque veluti an-  
 cillam ad quastum, sed veluti sponsam  
 ad generationem, fructum atque  
 solatium honestum.

Sin displiceo, & me fortasse solam vides  
 tristemque & mutam, saltem januam  
 hanc claude, ne pateam profanis. Audis  
 Viator, quid velim? januam hanc sine usu  
 patentem claude, aut tibi tuisque crescant  
 aures Mida, & protinus tibi contingat,  
 quicquid olim Acteoni imprecata  
 est soror mea Diana.

Vale, & si sapias, imò ut sapias, hoc do-  
 micilium meum venerare.

Nunc

Nunc cum in ipsum Sacrarium hoc  
me penetrans, & cathedram hanc con-  
scendens, illam sapientissimi Principis  
*Philippi III. Hassiæ Landgravii* artifi-  
ciosissimam & preciosissimam imagi-  
nem, illum quoque, fortissimi **HEROIS**  
*Johannis Hassiæ Landgravii*, Martialem  
vultum intueor, si denique alias inven-  
tiones quæ jam vel perfectæ sunt, vel  
propediem expectantur, contemplor,  
gratulor mihi, me primum esse, cui in  
hoc renovato Musarum domicilio con-  
cessum sit, aliquod qualiscunq; ingenii  
Oratorii specimen edere. Nisi animi  
auguria me fallunt, vel ipsi hi parietes  
in posterum, docentes simul & discen-  
tes excitabunt ad majorem diligentiam.  
Et hinc non mediocris voluptas ani-  
mum meum incendit, illa ingeniorum  
certamina coram intuendi, & continu-  
andi saluberrimã conversationem cum  
tot celeberrimis viris, cum tot gene-  
rosis & Nobilissimis Juvenibus. Mace-  
dones



O R A T I O.

dones olim ab Illyriis superati, Regem  
in cunis prætulerunt ad prælium. Cre-  
do, eos hoc ipso indicare voluisse,  
quantum ad excitandam aliorum virtu-  
tem possit ejusmodi HEROUM aut san-  
guis aut imago. Quotus quisque &  
imposterum in hâc cathedrâ stans, non  
omnem ingenii benignitatem inten-  
det, ut nil proferat, nisi quod dignum  
esse possit auribus illorum HEROUM,  
quos tabulæ hæ representant? Et sanè,  
nisi fatalis dispositio, me quasi invitum  
hinc divelleret, nihil mihi suavius con-  
tingere posset, quam his Sirenibus se-  
dulas & vacivas præbere auras. Sed ut  
dixi, fata sunt quæ me jam urgent. Et  
fatis dicere legem, quis posset aut vellet?  
Olim, Nero, nondum Nero, in certâ  
quâdam causâ optabat, se nescire lite-  
ras. Si mihi jam optare & impetrare li-  
ceret quicquid liberet, optarẽ me non  
ignorare, sed scire literas, scientias &  
artes, & linguas OMNES. Tunc omni-  
bus

bus vobis & singulis valedicere vellem  
 elegantissimâ Oratione vel Hispanicâ,  
 vel Gallicâ, vel Britannicâ, vel Poloni-  
 câ, vel Italicâ, vel Chinensi, vel Arabicâ.  
 Sed ut ingenuè fatear, NON POSSUM.  
 Ibo quoquò fata trahent retrahentq;  
 ibo inquam, visurus an nationum illa-  
 rum mentes linguasque discere queam.  
 Sæpe enim audivi dici, neminem satis  
 nosse mundum, nisi qui viderit mun-  
 dum. DEUM verò nosse, semetipsum  
 & mundum nosse, perfectam sapien-  
 tiam esse, non nemo in hâc Academiâ,  
 familiari symbolo suo docere videtur.  
 Si rectè recordor, ex hac ipsa cathedra  
 quondam pronunciatum, tria in omni  
 actione in primis ponderanda esse. *Fi-*  
*nem* nimirum, *media* & *objectum*. Quic-  
 quid agit, agit propter finem. Ante  
 omnia de *Fine* quærendum, *quid sit* &  
 an etiam *productum* possibilis sit. Si igno-  
 ratur quid sit, omnia reliqua ignoran-  
 tur, quæ inde dependent. Si introduci  
 non

non potest, frustra agis quicquid agis. *Finis* autem non introducit seipsum, sed requiruntur *MEDIA*. Cæterum *Finis* sæpe utilis, laudabilis, honestissimus est. *Media* quoque sæpè ingeniosissima & sufficientissima sunt ad obtinendum illum finem. Sed si *objectum* non satis aptum & dispositum est, ad recipiendum finem, per *media* illa introducendum, tum quoque frustra instituitur omnis operatio. Non sequitur, inquit Scaliger, Cardanus falsis argumentis me movet, ergò ego falsis argumentis moveor. Nihil minus. Nam recipiens recipit non ad modum imprimentis, sed ad modum suæ receptivitatis. Omne *objectum* in quod agere vult artifex, non tantum debet esse in ejus potestate, ita ut illud immutare multisque modis disponere possit, sed & artificii cognitum esse debet. In Ignoto nemo feliciter operatur, eruntque *objecto* ignoto ignota omnia quæ ab illo

illo dependent. Poteritne aurifex bene fundere, ducere, limare, polire aurum, si quale sit ignoraverit? Hæc ex ipsis Philosophiæ fontibus hausta, jam repetere volui, ut breviter ostenderem, illam meâ quidem opinione esse causam non postremam omnium confusionum in rebus publicis, non bene nosse & distinguere ingenia quibus cum tibi res est. Circumspice enim & contemplare, quoties anima meliori disciplinæ debita, addicatur inferno, quæ fortasse servaretur si morbum animæ satis nosset sacerdos. Quoties avaritia culpatur in auribus prodigi, lascivia in auribus avari, sed frustra? Quoties jurisconsultus peccat, dum genus causæ ignorat, atque ita præsentis materiæ non satis feliciter applicat spaciosissimam illam juris scientiam? Medicus, si objectum id est ægrum, non satis feliciter cognoscit, ingeniosissima & preciosissima medicamenta porrigens, Vene-  
num

num propinare videtur. Et sunt inter  
politicos non pauci, qui supra Vulgus  
se sapere putant, si per omnium seculo-  
rum historias se penetrantes, diligenti  
manu colligunt quicquid olim vel in  
statu Ecclesiastico, Politico, Militari,  
Scholastico, Oeconomico factum, vel  
imitatione vel emendatione dignum.  
Sed in ipsâ applicatione sæpissimè fal-  
lunt & falluntur, si varietatem ingenio-  
rum non satis distinguunt. Non omnia  
omnibus temporibus, omnibus inge-  
niis conveniunt. Qui è præteritis sem-  
per metitur præsentia, is nil aliud agit,  
quam quod pusionibus laxiores caligas  
induit. Quoties veterum Philosopho-  
rum sectas contemplor, video diversis  
seculis eandem sapientiam inculcatam,  
sed alio atque alio modo. Non ob  
aliud, quam quia mutatis temporibus  
ingenia humana mutata viderunt. Dio-  
genem Cynicum stultum diceretis, si  
hodie revivisceret, & iisdem moribus  
secom

se commendaret. Sed tali sapientiæ genere corrigenda erant tempora illa, quibus respublicæ Tyrannis implebantur & Scholæ Sophistis, id est hominibus disputacibus, qui sapientes videri volebant & non erant. Quod non omninò Diogenes desipuerit, vel inde colligite, quia Alexander illud orbis miraculum, optavit se Diogenem esse, si non amplius Alexander esse posset. Dum dolium suum volvebat revolvebatque, spectatoribus ridentibus, tacitè significabat, PHILIPPUM Macedoniæ Regem motibus suis bellicis super inferis mixturum. Et hæc dicere vel scribere, non satis tutum erat, quia Rex PHILIPPUS lanceas atque enses in manu tenebat, quibus scribenti digitos contudisset. Proinde gestibus & signis philosophari consultius putabat quàm verbis. Dum malebat saltem lingere Athenis in dolio suo, quam frui oppipara mensâ Alexandri Magni, tacitè accusa-

cusabat abjectum ingenium Aristippi Philosophi, qui forte suam non contentus, libertatem Philosophicam, rem illam inæstimabilem, postponebat servituti aulicæ, & non rarò ex amore fumi & favoris aulici patrabat, quæ tanto Philosopho erant indignissima. Si his aliisque desperatis atque ineptis ingeniis, Diogenes verba aut Syllogismos opposuisset, verba & Syllogismi à loquacissimis illis hominibus facile repositi fuissent. Proinde malebat eos risu & ineptiis, quàm spinosis argumentis refutare. Quemadmodum qui maxime ebrii aut stulti sunt, id non facile confitentur, sed vel sobrietatem vel sapientiam anxie simulant, & ægerrimè ferunt si vel ebrietas vel stultitia exprobratur. Ita se res habet, cum ineptis ingeniis aliis, quæ neminem magis persequuntur, nisi à quo veritatem audiunt sine sale & colore. Æsopus eandem sapientiam inculcabat quàm Aristoteles

in Ethicis. Sed ingenia quibus eam inculcabat, non capiebant Aristotelicam subtilitatem. Proinde in stabula se penetrabat, & à brutis petebat ea, quibus seculum suum erudiebat. Et erudiebat perquam felicissimè. Cum in veteri republicâ Romanâ illud cordatissimorum Philosophorum, Poetarum & Oratorum robur, simul cum Imperii vi & Majestate, marcere incepit, reliquæ sapientum non aliud remedium salubrius invenère quam quod à risu & salibus petitum. Nimirum ubi ars desinit, ibi satyra incipit. Neque satyra ullum tangit, nisi qui ei argumentum dat. Tangit verò, non ut ostendat, sed ut sanet. Pectus meum liquefcit, & nescio quo grandi tumultu animus impleatur meus, quoties nonnullos audio, nescio quæ scommata projicientes in acrem, mordacem, vehementem & sæpe satyricum Lutheri stilum. Tempora illa ineptissima, & ingenia hominum illorum



rum ineptissima, sale hoc maceranda  
 erant, ne omnia prorsus putrescerent.  
 Cur non eâdem operâ Eliam accusant,  
 qui risu refutabat ineptissimos Baalistas?  
 Sed à sacris ad res prophanas redite &  
 considerate mecum auditores optimi,  
 omnium seculorum hominumq; inge-  
 nia. Sed tacitè considerate, nec nimia  
 loquacitate ineptissimus. Quemadmo-  
 dum sapientia æquæva rebus veluti per  
 ætates promotâ est, ita stetit aliquando  
 cum ignavos mortales habuit aut varia-  
 vit, cum incidit in varietatem ingenio-  
 rum. Sicuti qui iter faciunt, & in avia  
 delabuntur, ibi se profecisse putant, u-  
 bi ab instituto longius discessere. Ita  
 sapientia deliquium sæpe accepit, non  
 ob aliud, quàm quia in ingenia incidit  
 quæ aberrarunt à scopo dum se profe-  
 cisse putarunt. Proinde varia tandem  
 excitata sunt ingenia, quæ variis morbis  
 varia applicarunt remedia, vario modo.  
 Orpheus cum de Diis cecinit, mentes  
 homi-

hominum conatus est avocare ab ineptiarum studio, & attollere ad Cœlum unde profluxerant. Homerus cum Trojam exhibuit, omnium rerum cognitionem sed sub involucris fabularū, & invasit ipse & aliis instillavit. Non Syllogismis utebatur, neq; in Barbara, neq; in celarent. Non anxie cumulabat spinosas distinctiones. At illam tamen sapientiam proponebat, è qua Plato, Aristoteles, Socrates, veluti è fonte ( suo quisque vase ) hauserē, quibus sua & aliorum ingenia utilissime rigârunt & fecunda reddiderunt. Si Socratis seculum contemlor, non satis magni illius Viri magnum ingenium admirari possum, quoties tot vitiosa ingenia simul intueor, cum quibus integerrimū illud pectus decertavit. Oppressa tunc quoq; erat respublica Tyrannis, Scholæ sophistarū ineptiis vexabantur. Prævâ opinione omnium animi infecti erant. Luxus ubiq; dominabatur. Meretri-

retricularum Jonia, eunuchos Babylon  
educabat, pessimas artes Ægyptus sub-  
ministrabat. Cum illis beluis Socrates  
colluctari debebat. Et colluctatus est,  
sed parum profecit. Inveterata enim  
jam mala erant, quæ illum animorum  
Medicum non admittebant. Proinde  
seculum suum ridebat, sed cum animo  
suo lachrymabatur. Loquebatur, sed  
pauci intelligebant, imò vix illi quos  
pungebat. Cùm justitiam laudaret,  
nemo eum audiebat. Proinde injusti-  
tiam reprehendebat, sed sic quasi lau-  
dare eam videretur. Ita Satyram cum  
Socrate cœpisse existimamus. Quem-  
admodum unâ literâ Pythagoras, Hie-  
roglyphicis Ægyptii, brutorum voci-  
bus Æsopus, ita per satyram virtutem  
inculcabat Socrates & seculi sui vitia in  
voluptatem suam convertebat. Videtis  
ibi urbanitates & venustates quasdam,  
ita ut primo aspectu vel auditu vix re-  
prehendere videatur. Quid vetat ali-  
M quan-

quando imitari prudentes Medicos, qui bellaria sua, illa absinthii & aloes, vel auro inficere, vel saccharo condire solent, ne primo aspectu æger deterreatur? Aliud hinc legere debemus, aliud sentire. Quemadmodum inter eos, qui altam turrim conscendunt, quidam proxima tantum & omnibus obvia, quidam verò *remota* intuentur: Ita in Satyricorum scriptis, nonnulli protrita tantum & verba apprehendunt, nonnulli autem latius animum porrigentes ad secreta hæc & arcana possunt & solent penetrare. Satyra similis videtur militiæ eorum, qui dum fugiunt tela emittunt, quæ tantò magis feriunt, quò incautiores illi, in quos præter expectationem diriguntur. Summa, quemadmodum in bello alius hastâ, alius gladio, alius sclopo pugnat, & tamen omnes eandem victoriam & cladem hostium intendunt: Ita etiam inter primos illos veræ rectæque sapientiæ auctores,

ctores, quidam severitate, alii amœnitate, nonnulli Syllogismis & verbis, alii signis & silentio, eadem mortales docuere. Non habet ingenium, qui se non accommodat omnibus ingeniis quibus cum vivit, & se non accommodat tempori in quo vivit. Si Æsopus cum Xantho Philosopho multum disputasset, facile illius loquacitas eminuisset. Sed ad naturam ipsam provocabat, & ingenium Philosophi ineptiis impletum demonstrabat. Demonstrabat inquam & omnes in stuporem dabat, sic ut Philosophi tandem ac ipsi reges ad eum tanquam ad oraculum accesserint. Quoties in veterum politicorum & Historicorum arcana me penetro, video quod Sapientissimus ille Cato, optimo animo, maximè olim nocuerit reipublicæ Romanæ. Ob hoc unum, quia non consideravit ingenia quibuscum conversatus est. Disseruit enim de rebus, ac si in ideâ Platonis vi-

veret, non in ultimâ Romuli fæce.  
 Quoties tempora Domitiani contem-  
 plor, non miror Juvenalem tot ineptiis  
 provocatum esse ad Satyras scribendas.  
 Ut ineptissima temporum illorum in-  
 genia æstimetis, unicam saltem audite  
 historiam. Rhombus piscis ingentis  
 molis tempore Domitiani in Ægypto  
 capiebatur. Nemo eum aut vendere aut  
 emere volebat, sed tantum bonum soli  
 Principi deberi, clamabant omnes. Sta-  
 bant in littore ministri & adulatores &  
 piscem Domitiano deberi clamabant.  
 Piscatores festinabant ad id solvendum  
 quod non debebant. Bonum hoc per  
 tot secula, Deorum beneficio, soli Do-  
 mitiano servatum clamabant adurato-  
 res. Domitianus aut credebat aut credi  
 volebat. Patina non erat tanti piscis ca-  
 pax. Convocabatur igitur Senatus, tan-  
 quam de re magni momenti agendum  
 esset. Aderant præfecti, aderant gulæ  
 Candidati, aderat inprimis Catullus  
 Messa-

Messalinus, vibex suorum temporum, cui nihil malum videbatur, nisi quod Principi displicebat. Hic Comædiam exordiebatur prodigiosa & ad omnem adulationem composita Oratione Rhombus, aiebat, captus est. Omen Victoriarum & Triumphorum. Simili modo Rex capiendus & debellandus est à Domitiano. Nec hoc tantum sed & de patriâ & ætate piscis quæsitum, quasi hoc sciri posset. Quod senatus consultum factum putatis? Itum in partes, nec patres convenere. Quidam enim fenserunt piscem in partes concidendum esse. Aliis hoc displicuit, tanquam res mali ominis. Integrum concoquendum esse, plures statuere. Tandem de figulo consultum, qui patinam pararet. Hic erat ille Senatus, hic apparatus ineptiarum. Si quis hinc severo sapientiæ genere contradixisset, ex stultis fecisset stultiores. Patimini ut paulisper rideam, cum ingenia alia obiter contemplor,

quæ semper noctesque diesq̄ epistolis  
 scribendis & legendis consumunt; quæ  
 nihil agendo multum, plus, plurimum  
 occupata sunt; quæ anxia solitudine  
 cavere conatur, ne Corydonis bos for-  
 tasse pedibus conculcet ova, quæ galli-  
 na nondum peperit. In mentem mihi  
 venit magnus Princeps quidã, qui cui-  
 dam dono offerenti granum cerasi, cui  
 subtilissimo artificio inclusa erant duo-  
 decim cochlearia subtilissimè tornata,  
 red hostimenti loco reddi jussit integrũ  
 modium granorum ejusmodi, ut ita in-  
 utilis artifex inutili artificio se porrò  
 oblectaret, donec tandem defatigatus,  
 stultitiam agnoscere, & tempus utiliori  
 exercitio impendere inciperet. Parum  
 abesset quin quibusdam aliorũ artificũ  
 imò & doctorum, & Scribarum inge-  
 niis apprecarer perpetuã ejusmodi inu-  
 tiliũ laborum materiam, nisi eã ipsã re  
 aliis bonis ingeniis molesta essent. Ego  
 equidem lubens fateor, me ingeniosum  
 non



non esse, & eâ de re mihi gratulor. Nam nuper legi apud Senecam, nullum magnum ingenium esse sine mixturâ dementiæ, nullum excellens ingenium sine furore. Proinde stultitia caruisse, & aliorum ingenia novisse, mihi satis magna sapientia & ingeniositas est. Infelices sunt respublicæ, infelices sunt Scholæ & Academiæ, infelices sunt Oeconomix sine sapienti ingeniorum notitia & discrimine. Johan Baptista Porta, Philosophus Neapolitanus, varia hominum ingenia nobis depinxit sub figuris variorum brutorum. Non mihi jam otium est ejus observationes examinandi, sed Authorem ipsum vos intueri jubeo. Interim recordor, quid nuper in campo viderimus, cum fortè fortuna rediremus ex Avellino. Ex Arabia advolabat phœnix, ingens & nobilis avis, cujus cæruleam caudam rosæ pennæ distinguebant, circa collum aureo colore fulgebat, caput plumeo apice ho-

nestabatur. Sed nescio quo oculorum dolore laborabat, & Medicum poscebat. Protinus aderat corvus, qui jactabat se in templum Apollinis penetrasse, cujus parietibus inscripta fuerint arcanæ artis Medicæ, eademque furtim descripsisse & ita totam Medicinam feliciter didicisse. Inprimis multa loquebatur de Medicamento quodam universalis, quod omnibus omninò morbis conducere. Phœnix corvo credebat, & ejus curæ se committebat. Et corvus præscriptâ diætâ, paleis eum diu pascebat, sed interim quasi ita conveniret, pennas non paucas & conspicuas evelebat. Obstrepebat fortè adventans anser, & doli corvum accusabat, non sine bonorum applausu. Ast protinus aderat rusticus, qui festum Martini adesse anserem admonebat, & sine morâ caput ei amputabat, fidelitatem ejus fædâ morte finiens. Tandem Cygnus repetitâ corvi criminatione, ægræ avis illius curam

curam magno consensu obtinebat, & remotis paleis, mannâque adhibitâ, oculos ejus non mediocriter reficiebat. Sed vespertilio & ipse Medicû jactans, planè Medeæ facinus conatus, mortem phœnici intendebat, & prorsus regenerandum clamabat, & vix cohiberi poterat ab hoc proposito. Stabat ab altera parte graculus, nimirum sapiens, qui crudam mannam despiciens, destillationes Chymicas suggerebat & comendabat, utpote quæ multorum calculis probatæ, & cum Cygni medicamentis commixtæ essent. Cum ita dissidentibus inter se Medicis, huic dexter illi sinister oculus concrederetur, provocato utrinq; judicio, mira fiebat spectatorum confusio. Nam nec Medicis loquacitas deerat, neque phœnix ipse sibi constabat, nec utriq; applausus denegabatur. Maximè omnium cicada fritinniebat quicquid in buccam veniebat, & aures omnium dissono strepitu nugisque va-

riis implebat. Interea & vires Phœnicis marcebant, & pennæ diffluebant, & vertiginem tandem patiebatur, & carnibus ægrè sustinebatur, & unguibus propinquiores lacerabat, & scabie paulatim occupabatur. Tum lusciniâ casu obvolitans acclamabat: ô nobilis & honorande frater! Te perdidit turba Medicorum, quorum ingenia nec tu nosti, nec illi causam morbi tui aut norunt aut nosse cupiunt. Cum visionem hanc forte recenserem obviis amicis quibusdam, protinus alter incipiebat: Nescio quo fato fiat, ut bruta jam ubiq; loqui & philosophari incipiant, hominibus ferè tacentibus. Nuper enim cum dies caniculares feriis studiis nostris inducias indicerent, animi causâ proficiscebatur ad parentem meum. Eramus in prædio cognati mei, quod non procul ab urbe est. Circa crepusculum vespertinum, cum omnia essent tranquilla, audiebam colloquium aliquot murium.

Mus

Mus junior patrium antrum fastidians  
in quo primum vitalem exceperat au-  
ram, peregrinandi libidine incensus, se-  
niorem murem multis precibus fatiga-  
bat, ut bonâ cū veniâ dimitteret ad iter  
accinctū. Senior mus variis mundi ho-  
minumque insidiis, variis decipularum  
generibus exercitatus, reluctantem ani-  
mum non satis cogere poterat, ut huic  
petito annueret & rude adhuc filii inge-  
nium committeret peregrinationi tot pe-  
riculis obvia. Tandem verò variis argu-  
mentis persuasoriis victus, saluberrimis  
præceptis ethicis imbutum dimittebat.  
Cum jam jamque discedenti felix iter pre-  
cicaretur. Vade, aiebat. Sit tibi frons aper-  
ta, mens clausa, lingua parca. Discas in-  
servire tempori, sciasque non omnibus  
ingeniis nec uni semper antro credendū  
esse. Elapsi erant aliquot dies cum in eo-  
dē prædio pernoctanti, variæ contem-  
plationes somnum mihi eriperent. Ad-  
huc illis inhærebā, & nunc spe, nunc ti-

more animum miscebã, cum iterum audirem sibilos & susurros murium. Gratulabantur reduci musculo juniori, & non sine risu tam citò redeuntem interrogabant, an parentis antrum sine manu ductore adhuc invenire potuerit? an linguam vernaculam etiam corripissent tot gentium idiotismi? At junior musculus incipiebat alio risu refutare seniores illos scopticos, & tandem non sine gemitu exordiebatur methodicè describere tot casus, tot itineris sui pericula. Vix, aiebat, egressus eram ex hoc antro, cum per varias militum turbas non sine periculo eundum esset. Circa vesperam, veniebam in culinam magni alicujus Principis, ubi putabam me commodè pernoctare posse. Ast in ipso limine protinus mihi occurrebat ingens gallus gallinaceus, qui alas aliquoties magno cum strepitu concutiens, altissimã voce cantabat. Dicitur non potest, quantus terror hoc pectus me-

um

um concusserit. In illâ animi consternatione vix excogitare aut invenire poteram antrum, cui me tutò committerem, ne à gallo illo devorarer. Paulò post adventabat felis, qui posterioribus pedibus insidens, inter blandas oculorum conversiones caput erigebat, os unguibus mulcebat, multoq̄ue speculatu in amicitiam meam se insinuabat. Aliquoties ex antro prospiciebam, & singulari animi impetu ambire incipiebã amplexus tam blandi animalculi. Sed recenti memoriæ adhuc inhærebant moralia, quæ summo mane discedens à te acceperam, optime pater, & proinde ignoto ingenio nondum fidebam. Aderat hora cænæ, ubi magna ciborum varietate se commendabant ingeniosissimi coqui. Tandem Principis tabulæ admovebantur varii sapientes, qui inter varios gestus, vultuum severitate & vario sapientiæ genere certabant. Dixisses omnes esse Curios & Catones, & Senatores

natores sive Venetos sive Romanos:  
 Tandem Bacchus adventabat, qui singulis capacissimum vitrum infundebat, quo evacuato, alius in simiam, alius in leonem, alius in suem, alius in simplicem oviculam convertebatur. Dies mihi non sufficeret, si circumstantialiter describendæ essent ineptiæ, quas in illo animorum statu patrabant. Quis credidisset, tam operosa, tam vasta, sive Juridica sive Philosophica volumina, uno atque altero scyatho vini, ita posse elui, ut possessores suos bestiis similes relinquerent? Mox puellus aderat, qui singulis caput papaveris offerebat, quo assumpto, omnes reddebantur pristinae ingeniorum simulationi. Cum tot rerum novarum formæ mentem meam confunderent, & quò me verterem, adhuc dubitarem, occurrebat mihi Poeta aliquis, qui pulvere scholastico, spe & promissis diu nutritus, plures phrasas in marsupio suo habebat, quàm duca-



ros aut rosas nobiles. Ejus pedem leni  
morsu rodebam, & cum me intueretur,  
pedibus ejus advolutus, Salve age-  
bam, vir optime. Da veniam libertati,  
quam mihi bonitas tua facit. Si quæris  
cur me ignores & ego te noverim, scias  
me simul & matrem meam sæpe no-  
cturno tempore ambulasse per came-  
ras tuas & sortem tuam satis nosse, quam  
tu amplissimo pallio sapientissimè tegis,  
& forti pectore expectas meliora. Si  
tibi in illâ fortunæ tuæ angustiam gens  
nostra molesta fuit, supplex veniam pe-  
to. In posterum occupabimus granaria  
Kipperorum Wipperorumque & nec  
farinæ, nec panibus nec versibus nec a-  
liis pagellis tuis litterariis ullo modo  
nocebimus unquam. Miserere saltem  
penitentis, & pro tuâ generosâ con-  
suetudine beneficiis ulciscere injurias  
tibi illatas. Libido discendi varios mo-  
res me deduxit in hanc peregrinam tel-  
lurem. Destitutor omni amicorū con-  
sortio.

fortio. Aliquot tantum præceptis instructum, me solum sine comitibus dimiserunt parentes. Et cum jam ex patrio antro discederem, valedicenti, ferriò inculcabat pater, ne omnibus fiderem ingeniis. Nunc cum in hanc aulam veni, duo occurrerunt animalia, gallus nimirum ferocissimus & blandissimus felis. Ille exitium mihi minari videbatur, hic verò amicitiam non obscure offerebat. Per candorem tuum, virtutem tibi propriam, per omnia sacra & prophana Te obtestor, ut consilio & auxilio mihi succurras, ut fœdere amicitiae conjungi possim cum blandissimo fele. Nam si iterum mihi occurreret ferocissimus ille gallus, impetus ejus sine auxilio fidelis amici cujusdam vix sustinere possem. Poeta ille, caput aliquoties concutiens, ô inepte, exclamabat. Nondum fuisti illis in locis, ubi lardum impositum fuit prunis. Nondum moralia patris feliciter applicare didicisti.

A gallo

A gallo non est ut periculum expectes. Sed cave felem blandientem, cave, si fapis. Ego, si optare fas esset, semper mihi optarem socium, qui admissos errores deploraret, cæterum loquaculus esset, & omnia candidè eloqueretur, ut gallus ille cantans, quem vidisti. Tutio-rem me tunc sperarem, quam inter blandos ejusmodi simulatores & dissimulatores felis ingenium imitantes. At quia te discendi cupidum video, accede inepte, docebo te porrò, quæ observasse aliquando utile erit atque jucundum. His dictis, spaciabatur in Sylvam quandam amoenissimam, ubi in egregiâ quâdam sellâ sedebat Leo, Rex animalium, deliberaturus, quâ prudentiâ, regni sui vires stabilire, & nuper ablatas provincias recuperare posset. Adventabat quoque asinus & lepus. Animalia cætera risu & variis ludibriis pungebant ignavum asinum & timidum leporem, eosque tanquam in bello ineptissimos, domum

domum redire jubebant. Ast Leo, iustâ & prudenti irâ incensus, clamabat, quid agitis, ô animalia? Nullum ingenium, nullum animal tam ineptum est, quod non possit esse utile, si republica eo rectè & sapienter uti sciat. Asinus vobis in bellum ituris non tantum sarcinas portare poterit, sed & in casu necessitatis vices præconis aut tympanistæ subire poterit. Lepore autem utilissimè utemur loco cursoris aut veredarii, in mittendis ultrò citroque literis & communicandis bonis novis. Tandem accedebant alia grandia animalia, Leopardus videlicet, & Elephas, & Bubalus, deinde & Bos, & Ibis & Tygris, Sciurus etiam & Lupus, & Agnus, & Vulpes, & Mula, & Canis, & Ursus & Cervus, & Equus & alia denique animalia, quæ pro varietate ingeniorum, Leoni, Regi suo, varia supeditabant consilia, quæ Poeta dicebat se olim legisse in Theriobulia *Johannis Dubravii*

Dubravii, Episcopi Olomucensis. Cæ-  
terum cum Poeta mecum adhuc loque-  
retur, Lepus nos accedebat, & vides,  
ajebat, ó homo, quæ saluberrima præ-  
cepta peti possint à variis brutorum in-  
geniis. Sæpe autem audivi, hominem  
esse compendium mundi omniumque  
rerum creatarum. Dic igitur, quid de  
hominis natura & constitutione me  
observare jubeas? Imò ajebat Poeta, ne  
inter tot brutorum voces, solus tace-  
am, dicam aliquid. Hominis naturam  
qui cognovit, is didicit omnium vete-  
rum Philosophorum doctrinam, qui  
egregium illud *Nosce Te Ipsum*, è cœ-  
lo lapsum putarunt, & aureis literis,  
foribus templi Delphici inscripserunt.  
Qui verò hominis naturam nosse cupit,  
eum oportet instituere quandam quasi  
Anatomiam animi & corporis. Si quis  
corpus humanum contemplari volue-  
rit, videbit quandam quasi imaginem  
totius Reipubl. Quæris quid sit bonus  
Eccle-

Ecclesiastes? Oculus. Quid Magistratus? Auris. Quid Philosophus? Lingua. Quid Historicus? Nasus. Quid Rusticus? Manus quæ reliquum corpus alit & sustentat. Cæterum de animæ qualitatibus jam non dicam. Sunt inter homines fæminæ & viri. Inter viros, tot pilei, tot opiniones reperiuntur, quot capita. Et nescis fortasse quâ cognatione gens Leporina cohæreat cum hominibus? Dicam tibi bona fide, quicquid sentio. Quisque suo in gremio leporem gerit. Optimus ille, qui ne promineat dissimulare potest. Adhuc ita perorabat junior musculus, & plura alia de itinere suo referre volebat, cùm ecce alii cognati mures adventarent & novo hospiti de felici reditu prolixè gratularentur, & convivium reduci tot casibus, tot periculis, tot doctrinis exercitato adornandum, certatim clamabant, & alius quidem hordeum, alius alios cibos se comparaturum,

turū, pollicebatur. Ridebamus omnes  
ad hanc animalium & Poetæ Philoso-  
phiam, & ab illo tempore non semel  
consideravi, quantum utilitatis adferat  
in omni vitæ humanæ statu bene discer-  
nere ingenia, & unumquodque illis u-  
sibus applicare, ad quos natura ductrice  
propendet. Ite in antiqua retrò secula,  
contemplamini, quoties nobilissima  
ingenia in ipso flore perierint, ob hoc  
ipsum, quia eorum naturam ignorarunt  
ii, quibus subjecta fuere. Contem-  
plamini, quoties integri fortissimique  
exercitus, à quibus sceptrorum corona-  
rumque salus & autoritas dependet,  
ob hoc unum perierint, quia ingenia  
minimè militaria, sed scholastica potius,  
id est, galeati lepores & cervi iisdem  
præfuere? Experimentiâ & lectione di-  
dici, plus posse exercitum cervorum,  
duce leone, quàm leonum duce cervo.  
Quas non confusiones expectat res-  
publica, si boves imperant, simiæ con-  
sulant,

fulunt, asini ad Lyram sedent, Leones  
 ad molam asinariam protruduntur? Nā  
 certè ut reliqua animalia ineptiis suis  
 peccant, ita generosæ feræ ipsâ gene-  
 rositate suâ nocent, si non justo modo  
 tractantur. Quid non negotii & ceteris  
 asinis & ipso molitori faceffere pu-  
 tatis leonem, saccos portare coactum?  
 Multa, multa, inquam, magna atq; egre-  
 gia ingenia, ob hoc ipsum pestifera fu-  
 ère, quia eorum generositate respu-  
 blica rectè uti nescivit. Bucephalum ge-  
 nerosum, sed ferocem equum, Mace-  
 dones olim negligebant tanquam inuti-  
 lem. Id casu videns Alexander adhuc  
 puer, alta voce non sine maxima indi-  
 gnatione exclamabat, quid agitis ô ine-  
 ptissimi, qui tam generoso equo uti ne-  
 scitis? Et protinus eum conscendens,  
 umbrâ virgæ & poppismis plus efficie-  
 bat, quàm alii frænis simul & calcaribus.  
 Videns hoc *Philippus* pater, inter la-  
 chrymas eum complectebatur, dicens:  
 ô filij



ô fili, quare tibi aliud regnum. Macedonia Te non capit? Quòd conjugia interdum sint infelicia; quòd sæpe habeat lites alternaque jurgia lectus, in quo nupta jacet; quòd sæpe amplissima domus capere nesciat, quos lectuli angustia conglutinare debebat, non aliunde provenit, quàm quia miscentur ingenia disparia atq; dissimilia, quorum non est idem velle, & idem nolle. Simile amat sui simile. Dissimilitudo humorum, parit dissimilitudinē & discordiam animorum. Poetam audi, & si vis nubere, nube pari. Educatio liberorum, quæ est fundamentum felicitatis Politicæ & Oeconomicæ, sæpe infelicissima est, quia nulla ingeniorum habetur ratio. Patimini ut hîc obiter laudem mores & statuta Jesuitarum, qui in scholis suis rem hanc sapienter & diligentissimè observant. Putasne ô inepte Ludimagister, qui unum eundemq; calceum omni pedi aptare conaris, qui eodem

eodem baculo torques atque enecas ingenium tardum sive ferreum & igneum sive aureum, putasne inquam, te habere materiam primam, quæ possit recipere omnes formas? Ingenia Adolescentum non secus tractanda sunt ac vitra, quorum alia sunt crassiuscula & proinde à rusticis quoque tractari possunt, alia subtiliora, uti Veneta, quæ digitis quoque subtilioribus eluenda. Cæterum credite mihi, non ex quolibet ligno fieri Mercurium. Sæpe ingenium Martiale cogitur ad literas. Hinc deinde Parentibus labor & sollicitudo, quia ejusmodi igneum ingenium manus lanceis & gladiis aptas, submittere nescit ferulæ ineptissimorum Orbiliorum. Sæpe excellens ingenium Mechanicum, vires suas invitâ & reluctanter Minervâ consumere cogitur in addiscendis jejunis Grammaticorum præceptis. Si tempus in ejusmodi arte impenderet, ad quam naturæ impetu propendet,

pendet, brevi tempore specimina ederet admiranda & reipublicæ gloriosa simul & utilissima. Sed frustra & ineptè agit, quicquid interea agit naturâ & ingenio reluctante. Si Albertus Dürer, pictor ille ingeniosissimus, ad literas discendas coactus fuisset, forsan non ascendisset supra sortem miseri alicujus ludimagistri, qui fortasse quodam naturæ spontaneo impetu puerulos docuisset, quomodo gallum gallinaceum, qui plerunque in fine librorum alphabetariorum cernitur, variis coloribus illuminare possint. Ast quia felici ductu arti illi excolendæ admotus est, cujus semina quædam ipsa natura ipsi implantaverat, id præstitit, ut Apellem & omnes Græciæ Italiæque pictores vel superasse vel adæquasse dicendus sit. Si tutor ille Norimbergensis, *Hans Sachs*, literis discendis destinatus fuisset, forsan in Poesi id fecisset, quod Germanorum Virgilius, Celeberrimus Opitius

N

tius

tius noster. Sed quia ringente Miner-  
 vâ & indignante omni Musarum cho-  
 ro in officinam sutorum veluti in pistri-  
 num, ab invida fortuna damnatus est  
 vir bonus, ideò factum puto ut neque  
 bonos versus, neque bonos calceos  
 confecerit. Quo ruitis hoc in casu, ô  
 Politici & quotquot clavo rerum pub-  
 licarum aut adestis aut præestis? Ge-  
 nus inhumanitatis noxiosissimum est,  
 juvenes ingenio & singularibus animi  
 donis præstantes non extollere, non  
 præmiis sollicitare, non excitare, & quasi  
 cogere ad hanc vel illam artem exco-  
 lendam. Quæ illa vestra barbaries,  
 ut extraordinariam virtutem non tan-  
 tum non quærere sed interdum nec fer-  
 re possitis? Si vos, si rempublicam ve-  
 stram amatis, si famam, si opes & felici-  
 tatem quæritis, hîc prudentiam vestrâ  
 explicate. Belli & pacis artes, id est, in-  
 genia literis & artificiis & armis nata,  
 quid cessatis licitari? Non ego meram  
 temeri-

temeritatem militarem, non ineptos Orbilios, non vulgares artifices Mechanicos ad illa præmia invito, sed ingenia excellentia & extraordinaria. Fingite rempublicam aliquam, raras illas ingeniorum gemmas, illos naturæ flores, veluti in unum sertum collegisse, quis eam ignorabit? quis eam non celebrabit? Cujus Nationis, quorum populorum pecuniam, non attrahet, & ad se invitabit? Habent ingenia proventus suos veluti plantæ. Ex unicâ plantâ, sed ulâ hortulani curâ propagantur innumeræ. Ab uno Durero, quot pictores habuit Germania? ab uno Optio quot Poetas? Quot Oratores ab unico Lipsio habent Belgæ? Quot egregios artifices mechanicos ab unico excellenti ingenio habuit Norinberga? Sed ejusmodi ingenia ad ornatum seculi sui edita, quæ virtutes suas multis modis propagare possent, non tantum non promovere, sed in ipsa saepe herba suffocare

focare solent invidi illi animi, qui ad  
 servitutum facti liberis plerumque im-  
 perant, illi inquam quos vel natura bar-  
 baros & stupidos fecit, vel fortuna in-  
 curiosos aut superbos. Hinc tandem  
 tot egregiæ mentes aut inter privatas  
 curas & querelas latent & consenescent  
 & marcent, aut agere coguntur non  
 quod possent aut vellent, sed quod ju-  
 bentur. Vidistis, Auditores, in Museo  
 nostri Eloquentiæ Professoris non mi-  
 nimam vitæ humanæ & prudentiæ poli-  
 ticæ partem repræsentatam esse per va-  
 ria emblemata. Si mihi liceret ejusmo-  
 di emblemata excogitare, curarem pingi  
 currum, & in eodem sedentem sartorem  
 aliquem, qui pocula aurea *forcipe* fabri-  
 caret, & aurifabrum qui vestes *malleolo*  
 sarciret. Currum traheret cancer, ani-  
 mal quod mensis quidem & convivii  
 aptum, præsertim illis mensibus, quibus  
 non inest litera R. sed currui trahendo  
 ineptissimum est. Ita inquam brevissi-  
 me

mè delinearem incommoda, quæ nascuntur ex neglectu discriminis illius, quod est inter ingenia. Cæterùm ignoscat mihi hæc ipsa Cathedra & vos Auditores omnium ordinum honoratissimi ignoscite, & benè interpretamini, quæ jam dicturus sum. Literas, eruditionem & homines doctos, ego quidem humilimè veneror, & venerabor. Sed homines solidè doctos, non crudos literiones, non illos qui Latinæ linguæ modicè periti sunt, non illos, qui omnè sapientiam in aliquo compendio Philosophico quærunt, non illos qui rerum aut forensium aut sacrarum exiguam peritiam habent, de cætero Reipublicæ aut inutiles aut graves sunt. Eloquentiarum candidè quicquid sentio. Ego pluris facio unum ingeniosum artificem mechanicum, qui excolendo & amplificando artificio suo cum reipublicæ aut utilitate aut ornamento incumbit, quàm decem vulgares & plebejos Doctores.

ctores. Dic mihi, qui tot immodicis  
 laudibus & encomiis oneras literas &  
 ingenia folis literis nata, dic, an talis sis,  
 ut tuâ personâ Resp. nisi malo suo ca-  
 rere non possit? An de eo cogites, ut  
 Resp. magnum aliquot emolumentum  
 à te expectet? An inveneris aliquid vel  
 rarum, vel necessarium vel patriæ ho-  
 norificum? Quàm deforme est tot &  
 talia pro literarum gloriâ adferre, cum  
 interim nos ostendamus quam mini-  
 mum eorum habeamus? Quis nostrum  
 est, qui ausit idem in se suscipere quod  
 Archimedes, qui cum Syracusæ obsi-  
 derentur, aliquot legionibus restitit?  
 Cicero eloquentia sua plebē quocunq;  
 voluit, traxit. Demosthenes, aliquot  
 annis Philippi potentix restitit. Supe-  
 riori seculo Sedunensis Episcopus, à  
 Francisco I. Galliarum Rege hoc elo-  
 gium obtinuit, plus ipsi Episcopi unius  
 eloquentiam negotii fecisse, quàm Ca-  
 roli Cæsaris arma. De Thalete ecquid  
 cogi-



cogitas? Is dixit, sapientem ditescere posse, si vellet, & præstitit hoc uno anno. Tu quoque fac simile, qui ingeniosus videri cupis. Absit ut hoc ipso literarum utilitati aut gloriæ aliquid detractum velim. Quis nisi ex barbaris eam ignorat? At hoc dico, errare eos qui negent aliquod ingenium in magnis numerandum nisi quod possit literas capere. Errare eos qui putent nullum ingenium ad justum decoré pervenisse quod non literis ornatum sit. Pessimo certè suffragio & errore, è classe magnorum ingeniorum excluduntur illi, qui publicis virtutibus clari, natiq; sunt populis regendis, ut ut ad literarum subtilitatem inepti sint. Verius dicam, neminem esse politicis rebus parem, nisi in ipsis naturæ divitiis conceptum ingenium. Multi e contra in umbrâ scholarum ad laudem perveniunt inanes & superflui acuminis viri. Patrum nostrorum memoriâ, Hassia hæc habuit

Nobiliss. Proprincipem & sapientiss.  
 Consiliarium Burchardum à Gram, qui  
 vix conjugationes aut declinationes  
 scholasticas scivit, at Principi tamen &  
 subditis omnibus, prudentissimis con-  
 siliis suis abunde satisfecit. Si is qui li-  
 bellum aliquem sive juridicum sive  
 Philosophicum ex centum libris con-  
 scripsit, & vel nihil vel parum de suo  
 ingenio addidit, protinus Musas in-  
 crepat nisi nomen illius scriptoris in  
 Parnasso voce præconis ebuccinent,  
 & vel marmorì vel cædro inscribant,  
 cur celebritatem & nominis famam in-  
 videmus illis artificibus mechanicis, qui  
 suis quoque inventionibus de Germa-  
 nia nostra optimè & felicissimè sunt  
 meriti? Catull, Tibulli, Propertii no-  
 mina in omnium puerorum Scholasti-  
 corum ore sunt, qui tamen aut nihil, aut  
 parum utilitatis reipublicæ attulerunt.  
 At quis rectè novit nomen illius, qui  
 primus Typographiam invenit, litera-  
 rum

rum si non matrem, sane nutricem ?  
 Qui horologia primus Germaniæ no-  
 stræ intulit Johannes Cremonensis, Ja-  
 nellus dictus, quâ famâ apud nos est ?  
 Cui satis notus est is, qui pulveris sul-  
 phurei & tormentorum usum invenit ?  
 Cui notum est nomen ejus, qui bom-  
 bycis labores primus observavit ? Quis  
 scit, quis magneticam acum, rem  
 stupendæ utilitatis, primus invenerit ?  
 Quis stapedes Ehippiis addiderit ? Au-  
 divistis fortasse de ingeniosissimo illo  
 Mechanico, qui Noribergæ muscam  
 ferream fabricavit, quæ ex artificis ma-  
 nu veluti egressa, convivas circumvoli-  
 tavit, & tandem veluti defessa in Domi-  
 ni manum reversa est. Audivistis quoq;  
 fortasse de illo, quia quilam confecit,  
 quæ advenienti Imperatori longissimè  
 obvia sublimi aere processit, adventan-  
 temque ad urbis usque portam comi-  
 tata est ? Hæc nos qui sublimes & in-  
 geniosissimi & eruditissimi haberi cupis

mus, plebejis & rusticis sordidisque oculis intuemur & cum infimâ plebe aut pueris ad necromantiæ suspicionem confugimus. At hi lusus sunt. Docti inquam lusus sunt illorum ingeniorum, quæ nos sive stupidi sive superbi pessimo suffragio in catalogum vulgi ponimus, & longè infra sortem nostram judicamus. Inter ipsos literatos, maxima est ingeniorum differentia. Sunt, quibus omnis eruditio in labiis sedet, qui prompta garrulitate de quovis oblato argumento verba faciunt, [quæ parum tamen in recessu habent] & aures vulgi ita implent, ut putet eos omnem sapientiam devorasse. Sed rarò illis ea est iudicii vis, ut stilum perenni gratiâ ad posteritatem deducant. Plerumque gloriam promptâ loquacitate quæsitâ, scribendi cupiditate destruunt. Sunt alii, qui primo congressu non adeò subtiles videntur, qui cum subitò loquendum est, tardam ægriusve sequentem

ora-

orationem habent, qui sæpissimè hærent & non tantum verba ægrè expediunt, sed & si dicenda est sententia, quærunt quid sentiant & non inveniunt. Ast advocato animo & in sese ad meditando reducto, in omnium rerum & negotiorum vim idoneâ subtilitate penetrant, & verba, quibus utantur, apta concipiunt, & quicquid deinde proferunt, ei inest vis recondita, & mascula quædam verarum, non fucatarum, non ex scholis umbratiliū, sed ad ipsum usum compositarum sententiarum majestas. Sed in hoc malè ipsis fortuna consuluit, quòd primis congressibus, primâ motuum verborumque specie, obtusis, tardis, angustis & ineptis ingeniis videantur similes, & proinde tanta ingenii magnitudo ad tempus ignota non semper propitiam habeat virorum Illustrium manum, quâ ad dignas suâ industriâ curas & honores tollatur. Et hanc naturæ difficultatem tantæ felicitati ad-

tiadhærentem, vix aliter emendare pos-  
 sunt, quàm vel scribendo, vel assiduouſu  
 excitando lentioris ingenii acumen,  
 vel diu & frequenter cum illis optima-  
 tibus conuerſando, qui tandem ex mul-  
 to uſu illas robuſtæ mentis vires agno-  
 ſcere & agnitas provehere poſſunt. Sed  
 quis ſufficeret enumerandis omnibus  
 ingeniorum formis? Totus mundus nil  
 aliud eſt, quam variorum ingeniorum  
 ſchola, in quâ nemo tam ingenioſus fu-  
 it, qui ſatis didiciſſe putandus. Singuli  
 populi ſua habent ingenia peculiaria.  
 Itali ſuperbi, vindictæ cupidi & uno ver-  
 bo ingenioſi ſunt. Hiſpani plerumq;  
 ſapiunt ante factum, Galli in facto.  
 Germani poſt factum. Sarmatæ boni  
 equites, audaces & edaces ſunt: Ger-  
 manus bellator eſt, candidus & benefi-  
 cus. Sed ſi eſt Itali ſatus, tum fit diabolus  
 incarnatus. Singulæ ferè provinciæ in  
 Germania ſuū habent peculiarem ge-  
 nium. Eâ de re jam nihil dicam. Omnia  
 tamen

tamen probè probèque consideranda sunt futuro Politico & Oratori. Cicero aliter semper locutus est coram Cæsare, aliter coram senatu, aliter coram populo Romano. Ita Orator aliis argumentis persuadet ingenio Gallico, aliis homini Cimbrico. Alius quoque est genius & ingenium hominum in Republ. Monarchicâ, alius in Aristocraticâ, alius in Democraticâ viventium. Aliud est ingenium Aulici, aliud Mercatoris, aliud Studiosi & literati. Ille poculis conciliatur, iste nummis, hic virtute. Aliter quoque loquendum cum senes, aliter cum juvenes. Aliter cum Cholericis, aliter cum Melancholicis, aliter cum sanguineis, aliter cum phlegmaticis. Sed hæc tibi & Avelino tuo melius discutienda committo, ô Schuppi. Si mihi jam aliquid temporis superesset, pauca tantum adderem de ingeniis Scholasticis, quæ cognoscere soleo, quoties aut digitos inter

ORATIO

ter profundas speculationes scalpunt,  
aut mensis vel parietibus nomina sua  
pueriliter insculpunt. Siquis Campa-  
nam Erfurdensem intueretur, magnum  
catalogum inveniret ejusmodi vulpe-  
cularum scholasticarum. Apollo ipse,  
& omnes Parnassi incolæ, hoc homi-  
num genus odisse videntur. Nuper in  
hoc ipso Auditorio renovato ejusmo-  
di socius inventus dicitur, qui justam  
pœnam Musis dedit, cui denique hoc  
positum Epitaphium:

*Tu quisquis es, beane, qui præteris,  
siste gradum, & considera fratris tui fa-  
tum nefandum, miserabile, durum,  
inexorabile.*

*Cornelius Cerastus Cornanus, Lut-  
gendethlaviensis, Sobria Philosophia,  
quæ nunquam fuit ebria, amator inde-  
fessus, ex illustri Schola Vtopiensi huc ve-  
niens, ubi sapientiâ plus quam Scholasti-  
câ,*



ORATIO. 63

câ, tam Thomisticâ quam Scotisticâ,  
exercitiis quoque Grecis simul & Lati-  
nis in prosâ & ligatâ Oratione sine vitio  
scriptis, superaverat Omnes Donati di-  
scipulos, adeo ut tandem primum locum  
in superiori classe, jure meritoque obti-  
nerit, virgamque sceptrum illud scho-  
lasticum, non sine condiscipulorum suo-  
rum terrore, concessâ vicariâ imperan-  
di Majestate, in absentia Conrectoris &  
Cantoris, non secus ac alter Dio-  
nysius Siculus gestâ-  
rit.

Tandem in Auditorium hoc veniens,  
nomen suum pro more Beanorum, men-  
sis & parietibus, seu carbonibus aliisque  
rubris lapillis inscripsit, seu cultris inscul-  
psit. Quod non sine maximâ animi  
commotione videns Actæon, nova cor-  
nua huic Beano imposuit. Et quia non  
potuit ea iterum deponere, ex eorundem  
onere,

onere, propter ingentem mœrorem &  
maximum dolorem, mortuus est.

Et hîc jacet in pace, Tu abi domum  
& tace.

Vos verò ô Pedelli, qui felici manu con-  
sulitis generi humano & præclarâ meta-  
morphosi ex asinis & beanis efformatis  
Studiosos, impofterum beanos admonete,  
ut per Stephanum lapideum, per asino-  
rum ducem Nappium, per Sylvam vo-  
cabulorum, per omnia sacra scholastica  
jurantes, vobis polliceantur, se nolle hanc  
Musarum sedem beaninis manibus  
polluere iterum & macu-  
lare.

Quod si secus fecerint, & perjurii con-  
vincentur, omnes ingeniorum nostro-  
rum vires excitabimus, ut asini hi sen-  
tiant penas quascunque furia excogitant  
apud Poetas, quascunque denique pla-  
gosus

ORATIO.

61

gofus Orbilius in criminali iudicio suo  
decernit.

Valete & vobis etiam atque etiam  
cavete.

Potuisset hoc Epitaphium satis de-  
terrere, sed paulò post inventus est a-  
lius, qui simili temeritate hunc meruit  
Cippum :

Quod omnis cogitet memoria, posteritas  
Archibeatorum loquatur :

IOHANNES Gucl ins Muesß ge-  
nandt /

Qui natus est in Hörnerland /

Qui olim sub Magistro David,

Tam benè philosophavit,

In barbara celarent,

Vt se omnes admirarent.

Hic moriebatur, hinc sepeliebatur, cum  
nasculo suo grossiculo cum auribus  
longiusculis.

Si

*Si non fuisset arrogans, & cornuum per-  
peramans, & cum suo cultellulo, more  
satis beanino, nomen huc non sculpsisset,  
& nova cornua meruisset, non esset es-  
ca vermibus, & mortuus cum  
cornibus.*

*Tu quisquis es, qui prateris, Cave, cave  
tibi. Ego miserè hic perii. Et nunc in  
exemplum hic jaceo. Sum mortuus &  
taceo. Vide, ne tu quoque accipias  
hæc cornua & teneas, & sicut  
ego pereas.*

*E jocis seria addiscens, mendas Scho-  
lasticas emendes, & Studiosis induaris.*

*Cogita quod Magister David nobis  
sæpè inculcavit :*

*Qui proficit in literis & deficit in mori-  
bus, plus deficit quàm proficit.*

Dice-

Dicerem plura, sed video ingenia  
vestra defatigari hoc discursu meo mi-  
nimè ingenioso. Proindè abrumpo  
& quicquid in me est ingenii, humili-  
mè & subjectissimè consecro, ingenio-  
rum estimatori & patrono ingeniosissi-  
mo simul & potentissimo, Domino no-  
stro clementissimo, FERDINANDO  
III. ROMANORUM IMPERATO-  
RI AUGUSTISSIMO, VICTORI  
ET TRIUMPHATORI FELICIS-  
SIMO, Cujus Casarea Majestati sub-  
jectissimâ devotione precor, ut finis unius  
felicitatis sit gradus & fundamentum  
alterius, ut optimus DEVS, thronum  
ejus Casareum perpetuò confirmet, &  
adaugeat quotidie CLEMENTIAM  
HEROICAM FERDINANDIS  
AUSTRIACIS quasi hæreditariam  
& innatam, ut Casarea ejus Majestas i-  
gnosciendo potius quàm vincendo domitet  
hostes Sacri Romani Imperii, & in ani-  
mis sere posteritatis olivâ potius quàm  
laurâ

laurum triumphet, ut ita in amplificandâ  
 victoriosissimi Imperatoris Heroicâ vir-  
 tute, tot egregia ingenia id faciant cala-  
 mis suis, quod alii hætenus gladiis &  
 hastis fecere, atque ita pax tandem &  
 salus se iterum amplectantur. Ab ex-  
 audi hoc in casu preces nostras &  
 quamplurima excita pacifica ingenia, o  
 princeps pacis, qui non ante voluisti na-  
 sci, non videri ab hominibus, quàm pax  
 esset totâ terrarum orbe altissima. De  
 ejusmodi ingenio pacifico gratuletur  
 orbis literatus, & Universa Germania,  
 Principi Illustrissimo & Celsissimo,  
 HESSORUM LANDGRAVIO, PA-  
 TRI PATRIÆ, ACADEMIÆ HU-  
 jus AMPLIFICATORI, AFFLI-  
 CTARUM MUSARUM PATRO-  
 NO, cujus Celsitudini toto pectore  
 precamur, quicquid his foribus aureis  
 literis inscriptum videmus. Et ideò in-  
 scriptum putamus, ut intrantes simul  
 & exc-

## O R A T I O.

69

& exeuntes admoneantur, quem honorem, quem cultum debeant arbori, cujus nos umbra tuetur. Precamur inquam Celsit. ejus VITAM PROLIXAM ET FELICITATEM PERPETUAM. Cætera dicat posteritas. Deinde Celeberrima & florentissime Academia huic precor, ut perpetuò sit & maneat felicissima magnorum ingeniorum mater & sedes. Et si quid porrò ab ingenioli mei paupertate proficisci potest, quod vobis gratum, ô Auditores omnium ordinum honoratissimi, id jure meritoq; postulate, imperate, impetrate,

D I X I.

NO.


NOBILIS. DN. PISTORIO,  
S. P. P.


W Eyslicher warlich ist keiner zu  
schätzen/  
Als der SICH, GOTT vnd die WELT  
recht erkent/  
Den kan kein Unglück in Traurigkeit  
setzen/  
Weil er auch Unfall nur Seeligkeit  
nennt/  
Er weyß sich zu bücken/  
In Leute zu schicken/  
Lebt nach der Zeit/  
Richtet sein thun nach gelegenheit.

SCHUPPIUS, PROFES.

F I N I S.








67 <sup>11</sup>/<sub>19</sub>

**ULB Halle**

3

003 620 255





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black

DE  
ORATORE  
INEPTO  
DISSERTATIO  
EX  
AVELLINO  
MARBURGENSI  
EDITIONIS ULTIMÆ.  
*Marpurgi Hassorum*  
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII,  
Academie Typogr.  
ANNO M. DC. ICCLVI.

